



## **Svmma Juris Canonici**

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,  
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,  
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium  
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,  
discussa, & explicata

**Strein, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1658**

LXVII. Differentia 11. Pejurus in judicio secundùm Canones infamis est, & à  
testimonio ferendo excluditur,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

## DIFFERENTIA II.

*Perjurus in judicio secundum Canones infamis est, & à testimonio ferendo excluditur, c. Quicumque 6. q. 1. c. Parvuli 22. q. 5. Iure civili solum Deum habet ultorem, nec punitur in hoc seculo: . 2. C. de rebus cred. & jurejur. Ioann. Bapt. à S. Blasio 39.*

I. **F**abiani Papæ decretum in *Quicumque cit.* est, ut, qui sciens pejeraverit, 40. dies in pane & aqua. & septem sequentes annos poeniteat, & nunquam sit sine poenitentia, nunquam in testimonium recipiatur, communionem tamen post hæc percipiat. Vbi *Glossa* verum esse dicit, de testibus, qui pejerant in judicio, secus videri in accusatore propter . . . *Qui convictus* 22. q. 5. ubi illi tantum infamiam notandi, & ab omni deinceps testimonio removendi dicuntur, qui sollicitanti ad perjuriam consentiunt. Sed an de omni injuria idem valeat, dubitatur? Aliqui in contradibus negant locum habere, sed in judiciis tantum, *Glossa* autem omne perjurium infamare canonicam infamiam censet.

II. Iuris civilis in *l. cit.* decisio vel divinatio est, quod contempta religio à perjurio sacris Deum ultorem habeat, quasi nemo iudicum de eo plectendo suscipere curam debeat. Nam de violatione juramenti à iudice vel adversario delati loquitur, verum perjurii reos à magistratu civili nullam poenam perfringēdos esse quis dixerit? Lex affirmat. Fur

tiigitur, homicidii adulterii nulla sit ab homine poena, quia ultorem Deum patiuntur. *Abst.* Mentem legislatoris alibi investigemus. In *l. Si duo parvuli*, §. *ult.* ff. de iurejur. poenam fustigationis iubetur castigari, qui pergenium principis falso iuravit. Unde consequitur, non omne perjurium Dei vindictam relinqui, & prædictæ legis non esse generalem dispositionem. ut verba sonant: sed quia cordium inspector solus Deus est, iurantis verò perfidia humanum iudicem latet, poena omnia parsurus pejeranti edicitur. Solum Deum habet ultorem, quod soli Deo notum est. Consule *Tholos. l. 1. c. II. n. 2. & seqq.* ubi multis probat, non obviare citatam legem, quò minus à iudice perjuri castigentur. Atq; ita ratiocinatur. In lege dicitur, sacris Deum habent ultorem Ergò plectendi sunt poenis à Deo impositis; minus autem sollicitè inquire, quando perjurium nulli damnosum est.